

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-  
DIAETETICA

35

DE  
INCOMMODO ET PERICVLO  
**P V E R P E R I S**  
EX CONVIVIO BAPTISMALI  
IMMINENTE  
vom Schaden des Taubtauf-Schmauses

QVAM  
ANNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN PERANTIQA HIERANA  
PRAESIDE

**DN. D. IOH. HIER. KNIPHOFIO**  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE PATHOL. ET PRAX. PROF. ET ASSESSORE  
PRIMARIO S. R. I. ACADEM. NAT. CVR. ADI. ET BIBL.


**PRO LICENTIA**  
SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES ET PRI-  
VILEGIA LEGITIME ADIPISCENDI  
PLACIDO ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
RESPONDENS  
**HENRIC. GOTTFR. TRAVTMANN**  
GERA - RVTE NVS

H. L. Q. C. DIE XVII. DECEMBR. MDCLLVI.

**ERFORDIAE**  
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN UNIVERSALIS MEDICINAE  
MATTERIA  
DE  
INCOMMODO ET PERICULO  
P V E R P E R I S  
EX CONVIVIO BAPTISMALI  
IMMINENTE  
VOM GEBORNEN FÜR ANWÄRTEN  
ANWÄRTEN  
GRATIOSO MEDICORUM ORDINE  
IN UNIVERSALIS MEDICINAE  
PRACTICA  
D. D. JOHANNES KAPPHOFIO  
PRO LICENTIA  
SYMPOSII IN ARTE SALUTANDI HUMANI ET PER  
VULGARI TRACTATI  
TRACTATI SYMPOSII IN ARTE SALUTANDI  
HUMANI ET PER VULGARI TRACTATI  
HENRICH GOTTFRIED FRAYDMANN  
GRATIOSO MEDICORUM ORDINE  
M. D. C. DE ANNO 1711  
P R O P R I A T E  
LITVA KERRINGIANI ACADEMIAE





## PROOEMIUM.



**I**n matrimonio ineundo duo  
precipue spectari, ac a pa-  
ciscientibus primario inten-  
di, neminem fore quem la-  
teat, arbitror. Procreanda  
soboles & mutuo invicem præstanda officia,  
seu quod vulgo mutuuum audit adiutorium, &  
quæ porro exinde iusta sequela deducuntur,  
sunt terminus, quem omnes sibi constitutum  
norunt, votique compotes facti, ad exitus opta-  
tos se pervectos lætantur. Quam magna,  
quam gravia ista sint, ii modo perspectum ha-  
bent,

A



bent, qui de dignitate conjugii ex institutione divina cognoscent, sententiam laturi. Omnipotentiam summi creatoris quis satis dignis concelebrabit laudibus? quis miranda naturæ fabrica non obstupescet, initia hominis probe perpendens? Rectum igitur & iustum est, misericordiæ maximi opificis gratias & agere & habere meritissimas de uxore foetum feliciter enixa. Christianos præ cæteris decet, publicis id fieri precibus, Deumque exorari, ut puerperam recollectis & recuperatis viribus sanitati restituat, foetuique excluso incrementum det largissime.

Magna vero copia est muliercularum, quæ, ex votis superato dolore, edito partu, tempore ut plurimum sex septimanarum ad revocandas vires definito abutuntur, & ex puerperio infirmum & valetudinarium reportant corpus. Causam si inquiras, me multiplici & frequentiori experientia edocto quidem iudice, nulla est alia, quam dum puerperio cubuerunt, regulas diæteticas, ipsarum commodis tamen aptissimas, non violasse solum, sed  
omni-

omnino perfregisse, quævis consilia, etiamsi saluberrima, fuisse aspernatas. Quid mirum, istas dicto non audientes, certe negligentes, poenas & debitas & dignas luere, reliquumque vitæ tempus omne morbido cum corpore conflictari.

Primus post exclusum fœtum dies plerumque & præcipuas suppeditat occasiones sanitatis prostrata. Quam domus everrenda, conclave mundandum & bene lavandum baptismale convivium pro facultatibus opipare adparandum, caput, pectus, manus ornanda, induenda, puerperis quamplurimis antiquius & prius est nihil. Rationem sui cum prorsus nullam habeant, fieri potest non aliter, quin puerperio morbosæ excedant, languidumque corpus, sibi & marito molestissimum, ad mortem usque trahant, ac a fine conjugii longe aberrent.

Cum de exhibendo inaugurali specimine cogito, nullus dubitavi, quin hoc mihi thema feligam proponendum. Multi quidem id ni-

mis commune & vulgare judicabunt; cum quæ in eo explicando tradantur, minus assurgant. Quando vero perpendent, quot mulierum ejusmodi reculis valetudinem, vitamque perdant, & intempestivis istis adparatibus convivii conjugem, liberosque, uxore, matre orbent, vitio mihi non amplius versurum quemquam puto, qui utilitatis communis, quam possum maxime, sim studiosus. Deus optimus maximus, summus nostræ felicitatis stator omniumque bonorum fons, conatui huic succurat, & ad optatum finem laborem perducatur in præsentiarum mihi susceptum.

## §. I.

**D**e incommodo & periculo puerperis ex convivio baptismali imminente acturo, ante omnia incumbit dicere, me eam indigitare cœnam, quæ pro cujusvis opibus lauta, varietateque cibi & potus instructa conditur die baptismali, cui compadres, aliique amici & propinqui adhibentur, tam gratum animum illis testificandi, quam communi lætitia hos adficiendi causa. Hic quæ de convivio isto in medium affero, ad abusum ejus extendi, solummodo volo. Satis antiquum esse tam solenni die convivia parandi morem, me non fugit, multas tamen ob causas jam olim prohi-



prohibitum quoque fuisse, inter omnes constat. Quæ  
verò cum sint aliena, falcem non inmittam.

§. II.

Operæ pretium, multumque lucis exponendo  
nostro themati allaturum fore censeo, quædam antece-  
dencia in mentem revocare, & perpendere, quod in-  
fans ante exclusionem a matre per novem menses in  
utero geratur, & a die conceptionis usque ad diem, quo  
in lucem prodit, ex sanguine materno nutrimentum  
suum capiat, & a puncto ad longitudinem commodam  
increscat; ubi necessario ob vasa minora sanguinem  
non promiscue recipit, sed subtilissimas tantum partes  
delectas retinet, crassiores vero mediante circulo hu-  
morum matri reddit; a quo crudiori & impuriori san-  
guine varia gravidarum symptomata, earumque pro-  
clivitates ad morbos dependent.

§. III.

Ad hæc cogitationes ad ipsum exclusionis actum  
dirigenda veniunt. Ad quem dum ipsa parturiens uni-  
verso corpore agitato, & intentis, deductisque fere  
omnium membrorum musculis concurrat, facta plena  
inspiratione, depresso diaphragmate, contractisque mu-  
sculis abdominis, uterum in arctius spatium compri-  
mit. Revera hoc opus nominatur labor, & termino  
technico laborum partus appellatur. Cum in omni  
labore voluntario pro nostro arbitrio intermissio fieri  
potest, labores partus ex necessitate quadam mecha-  
nica continuandi, quid? quod novi de integro exsu-  
dandi

dandi a parturiente etiam invita, usque ad exclusionem fœtus absolutam. Certissime a labore præter voluntatem & ultra sufficientes vires continuato, corpore insuper jam dum satis ad morbos disposito, (§. 2.) homo ineffabili modo delassatur, viresque prosternuntur.

## §. IV.

Excluso fœtu non omnes partus labores sunt superati, sed secundo loco excludenda iterum subeundum excitant laborem, qui, etiam si facilius exhauriatur, novum plane, & quod inprimis animadverti oportet, symptoma relinquit. Placenta enim uteri, in lucem suscepto fœtu, nulli amplius est usui, sed ejicienda: sed cum hæctenus universa sua superficie lateri uteri interno connexa erat, & fere duas tertias parietum cavitatibus internæ obtectas tenebat, nunc separatur, & jam descripta area, tanquam ingens vulnus, multis atque innumeris hiantibus vasis sanguiferis referta, ex quibus tanta sanguinis quantitas lochiorum nomine effluere debet, usque dum uterus a fœtu distentus, nunc vero evacuatus in se iterum recollectus fuerit, Quem vero latet nostrum, quamcunque sanguinis profusionem corpus debilitare, & vulnus eo esse periculosius, quo nobiliorem & sensibiliorem partem occupat, & quo majorem aream describit.

## §. V.

Extra dubitationis aleam positum esse judicio, hominem quemvis, etiam si præpollentem ante, cujus  
massa

massa sanguinea subtilissimis & delibatifsimis partibus privata (§. 2.) cujus ingenti labore & ultra vires sustentato corpus labefactatum (§. 3.) cujus per multa vasa sanguifera diiuncta & aperta ingens quantitas sanguinis effusa (§. 4.) qui vulnere magno, ideoque graviori, quod parti admodum nervosæ impositum, laborat (§. 4.) vehementer admodum adfectum & læsum quoad actiones vitales & naturales, necesse habere, ut debilitata viscera roborentur, & per exactissime observatas regulas diæteticas circulatio sanguinis, secretiones, excretiones, rel. redintegrentur, ac in pristinum ordinem adducantur. Sed ut propius ad propositum accedamus, de puerpera ipsa agemus.

## §. VI.

Primum ac præcipuum a puerpera observandum ad restaurandas vires amissas contribuit mens composita, membrisque omnibus in temperato aere conciliata quies, moderatus calor gradus, consueto lecti tegmine seu lodicula obrinendus, & actionibus se- & excretoriis suis ordo restitutus per tenuem, calidum atque simplicem victum.

## §. VII.

Media hæc tam salutaria negliguntur, turbantur, rejiciuntur primo statim post partum die. Tota familia lætatur, amici congratulantes invsunt, & neonato applaudunt. Quis quæso ex antiquissimis majorum institutis renueret poculum hilaritatis offerre, & quis illud exhaurire detrectaret? Urbanitate verborum satis

fatis quidem officiosa afficitur puerpera, sed fatigatur. Omnis vero cura in adornando convivio baptismali. Hæc priusquam fufius expositurus longius progredior, monendum mihi duxi, de iis me non loqui, quibus ex meliori luto præcordia formata: creberrime expertus cum fim, conjuges esse, aut quibus ejusmodi res parvæ curæ, multo minus cordi, aut quibus ampliores facultates, ut adparatui mature prospectum, & cura omnium parandorum aliis fuerit demandata.

§. VIII.

Quibus angustior domus, quo minus convivias in conclavi separto excipere, nitidiusculeque curare queant, de abluendo pavimento cubiculi puerperarum primum sunt sollicitæ, sunt muliérculæ, quæ ipsæ asseres defricant, ut munditiem epulis addant dispendio vitæ & sanitatis; quod si vero in tali hypocausto, cujus fundus adhuc madet, puerperæ lectus sternitur, ab effluviis aerem replentibus superficies corporis relaxatur & cutis tono suo orbatur, & ex hoc reliquæ excretiones turbantur.

§. IX.

Etiamsi linteamina transpirationis effluviis semel imbuta, eandem ordinario modo continuare, peculiari magnetismo instructa sunt: præsentia tamen compatris, reliquorumque amicorum puerperam mover, lectum albis linteaminibus, iisque recentibus inducere, corpus abluere, & indusio hætenus reposito induere, vestimentis, caputque mitra, quam possunt elegantissime, deco-

decorare. Quo fit, ut liberior ad corporis denudati superficiem admissus aer frigidus, & algifica vestimenta poros cutis constringant, & puerperio periculosa symptomata contrahant.

## §. X.

In capite ornando, capillis pectendis sunt occupatissimæ, & ut suis desideriis satisfaciant, adspiciunt speculum. Sed qualem istud facit imaginem? contemplantur ob multum sanguinem profusum pallidam, ob labores superatos emaciatam, ob dolores perpeffos tristem; hinc terrore percutiuntur immani.

## §. XI.

Puerperam nunc multo labore exornatam, comatulamque vocati accedunt convivæ singuli, qui electiore dicendi genere utentes, mulieri verbis sunt ambitiose molestissimi; urbanitati eorum responsura, ut par referat pari, torquetur, dum multo sermone defessa, viresque attenuentur.

## §. XII.

His tandem ad finem perductis, puerpera mensam instrui, exornarique jubet, cibos apponi, potumque ministrari. Cum vero hisce lecto affixa prospicere nequeat, sed procuranda aliis tradiderit, qui aut nimis parci, aut nimis profusi mandata exequantur, innumera ad eam deferuntur, quæ bilem movent. Nunc conqueruntur ancillæ condum promum nimis restricte & tenaciter cibum potumque distribuere; & obstrix

trix, se ex improbo labore fame atque siti lipothymia fere corripit, & syncope perituram, nisi illico reficiatur; nunc, omnia dissipare eundem, & quicquid domi hominum, vino mersum atque madere, & clanculum, quid quid boni est, compilare, nunciant alia. Quis dubitabit, iram puerperæ, eamque gravem & introrsus versam elici?

## §. XIII.

Ut coram mensæ acumbentes recte & decenter in prandio accipiantur, curæ sibi habet, sui vero plane obliviscitur. Sorbitiunculas & juscula ipsi salutaria, quater illo die haurienda, seponit, & assumere præsentibus tot comessantibus pudet, unde maximum sanitati existit detrimentum.

## §. XIV.

Scindendi obsonii magister in secandis distribuendisque cibis singulorum ferculorum delicatiora frustra puerperæ offerri curat. Admixta aromata gratum spirantia odorem, ferculi raritas, novaque varietas appetitum incitant, stimulant. Blandis verbis insuper ad comedendum allicitur falsa adductis opinione, post inediam quantitate cibi vires recuperari posse. Peccatum contra antiquissimam legem diæticam: post famem ventriculi repletio & saturatio distensione ejusdem nimia tonum aufert, motum peristalticum infringit, digestionem destruit.

## §. XV.

§. XV.

Quo frequentius ab his legibus disceditur, eo magis cenſeo neceſſarium, pauca adhuc addere, cum & ab iis, plus aliis ſapere opinantibus, in eo delinquatur. Ejusmodi juſcula & embammata, quo magis ad palatum ſint, varia admixcentur exotica, aromata & alia indigena, calorem naturalem intendentia & augetia, excandefcentiamque ſanguinis ſufflantia. Jam non inquirimus, quod, quantumque detrimentum corpori humano inferatur ejusmodi condimentis: nobis animadvertiſſe ſufficiat, nihilominus ejusmodi brodia a mulierculis lectum puerperæ obſidentibus atque circumvallantibus etiam atque etiam & de meliore nota commendari, quaſi cochlear hujus juſculi aromatis tincti ac perſperſi reſtituat omnes vires amiſſas.

§. XVI.

Ex edacitate & voracitate hominis validi & robuſti ſanitas vitium capit. Quod, quantumque damnum eſt, quod non evocetur atque eliciatur puerperæ aviditate & præcipitantia ciborum in ſe ipſi exitium capiendorum? Appetentia tamen iſta in epulis luſtraliſibus incitatur aut inedia per aliquot dies perpeſſa; aut commeſſatione & comotatione multas per horas, quid? quod in ſeram uſque noctem protracta; aut ſingulari cupiditate cujuſdam cibi, quem puerpera per aliquot menſes comedendum optabat; aut timore, cibum appetitum ſibi iri denegatum, cujuſ capiendi jam libera daretur poteſtas.

## §. XVII.

Quod de cibis allatum fuit, idem quoque valet de potu. Aquosum menstruum ad solutionem ciborum in ventriculo, plus spirituofo, confert homini sano; longe eminentiores utilitates conciliat partium fluidarum morbo laboranti, aut solidarum vitio, aut visceris cujusdam læsa actione. Consulas, quæso, consuetudinem conviviorum, de quibus in præsentiarum nobis sermo est; vinum, aut vinum adustum bibitur per orbem, propinatur puerperæ, quæ tandem haustu interdum satis ingenti respondet; & virus jam conceptum citius per venas propellitur,

## §. XVIII.

Hospites, sepositis cibis, domuitionem in multam differunt noctem, tempusque fallunt variis modis, prout ætas, consuetudo, temperamentum, vitæ genus, conditio, aliæque circumstantiæ ferunt. Ut convivæ animum ad aliquod oblectamentum adjungant, alii saltando, alii comotando, confabulando, tabacum fistula hauriendo, chartis ludendo tempus consumunt, puerperæ vero quietem tam diurnam, quam nocturnam disturbant.

## §. XIX.

Pone, quæso, tantum strepitum inter moratos non exoriri convivas; verum tamen esse concedes, & multis commodis & maxime necessariis privari puerperam rebus. Sanguis, lochiorum nomine, effluit partim



tim sincerus; partim in uteri cavitate extravasatus grumofus, frustulatum, plerumque conjunctis fibris, excernitur, quod absque motibus fibrarum uterum contrahentium fieri minime potest, quæ sensatio dolores post partum vocantur. Hic sanguis in præsentia hospitem e lecto removeri non potest, & puerperæ humiditate atque odore male spirante fit molestus.

## §. XX.

Pro beneficio naturæ agnoscimus, si non solum uterus, sese in pristinum volumen contrahendo, lochia, ejus substantiam distendentia expellit, sed simul vicina excretionis organa reliqua movet, ad debitum officium corpori præstandum, ab anteriori parte nempe vesicam urinariam, & a posteriori intestinum rectum. Certe muscoli sphincter & levatores ani, ut & sphincter vesicæ a transeunte fœtu fortissime compressi, atonia & paralyfi quadam laborant, & a fibris atque nervosis ramificationibus, uteri fibris implicatis, communicationem amissi roboris expectant, atque accipiunt per ordinariam excretionem tam urinæ quam scybalorum. Exoneratio & evacuatio quantum impediuntur & supprimuntur?

## §. XXI.

Pone, mulieres complures dolores partus magni animi constantia fuisse perpassas, editoque in lucem  
B 3 fœtu

fectu, suscipiendæ rerum domesticarum curæ pares esse; finge, ipsas satis valentes esse, rei familiari postridie partus operam dare, conviviumque agendum instituere posse; nimium tamen, credas velim, viribus suis confidunt, sibi que morbos contrahunt certe subsecuturos, tam utero quam vagina relaxatis, & adhuc atonia laborantibus.

## §. XXII

Dies, quo epulæ lustricæ concelebrantur, est septenarii critici plerumque dimidium, ubi inprimis requies tum animi tum corporis exposcuntur. Robustissimum quoque & valentissimum corpus tandem atteritur, infirmitatibusque eo gravioribus, experientia quotidiana testante & clamante, corripitur, quo minor cura valetudinis habita fuit.

## §. XXIII.

Eadem experientia, quam appello, adhuc multo plura incommoda & pericula in medium afferre possem, quæ puerperis ex convivis lustricis impendent, probe edoctus, zelotypia & æmulatione quadam furiosa fuisse excruciatas & extinctas. Sed de infante unicum adhuc addere verbum mihi liceat.

## §. XXIV.

Prono fluit alveo, infantem nutrimentum ex  
matris

matris mammis, omniaque morborum femina mater-  
norum dulci hocce alimento simul exfugere.

§. XXV.

In tam frequenti convivarum confluxu, in an-  
gustiori conclavi nullus locus cunis miselli hujus re-  
lictus; exportantur, & infans ad latus matris in lecto  
abconditur. Nec tempus, nec locus datur, fasciis eum  
involvendi, unde nec corpus ejus recte curatur, nec  
fovetur. Qui cruciatus ac dolores ex eo ipsi sunt per-  
petiendi? quot omni culpa vacui poenam luunt?

§. XXVI.

Conclusiones sequentes licebit ex supra dictis  
formare

- I. Massa sanguinea puerperæ subtile, fluidissimas  
atque nobilissimas partes embryoni traditas  
amittit, quæ nunc restituendæ sunt.
- II. Dificrasia inde orta, est corrigenda.
- III. Laboribus partus animus dejectus & corpus  
delassatum sunt reficienda, idque concessa  
quiete.
- IV. Infans inter angusta ossa innominata exitum  
inveniens, dolorificam compressionem in ute-  
ri

ri orificio interno & vagina producit, quæ lenienda.

V. Placenta uteri separata ingens vulnus, universam uteri superficiem occupans post se relinquit, cujus consolidatio caute procuranda.

VI. Recens natus per mammas debet nutriri, quæ ad hunc actum præparandæ.

VII. Infans sub exclusionis actu debilitatus, est resuscillandus.

#### §. XXVII.

Hæc omnia obtinentur per legitimum usum sic dictarum sex rerum nonnaturalium, qui quia simplicissimis quoque mulierculis concessus est, satisfacient recensitis thesibus illæ sequenti modo. I. utuntur *aere* temperato, vitando nimium calorem & præcavendo corporis denudationem. II. *Cibum* debita quantitate, qualitate, tempore, modo & ordine assumendo, *porumque* tenuissimum hauriendo. III. *Quietem*, laboribus peractis, summe necessariam capiendo. IV. *Vigilias* fugiendo. V. *Excretioni* lochiorum, excrementorum, alvi & urinæ prospiciendo. VI. terrorem, iram, zelotypiam, mœrorem, reliquasque vehementes *animi commotiones* depellendo.

#### §. XXVIII

§. XXVIII.

Videtur contra mulier vitæ & fanitati velle infidias  
struere, quæ fœtum enixa, omnem operam impendit,  
ut confilia fanitatis confervationem respicientia refpuat.  
Ex iis, quæ attulimus, hæc plus fati patebunt. Singu-  
la incommoda & morbos nobis ob oculos ponamus fub-  
fequentia, ut, quanti hæc res fit momenti, innotefcat.  
Et funt:

§. XXIX.

*Malacia.*

Infolitus appetitus non excitatur, nifi per tot va-  
riantes cibos fenfibus oblatos defiderium oriretur.  
(§. 14. 16.)

§. XXX.

*Apepsia, Bradipepsia, Dispepsia.*

Actio ventriculi aut plenarie fupprimitur, aut dif-  
ficulter procedit, aut chymus glutinofus, aut acefcens,  
aut ad corruptionem putredinofam inclinans elabora-  
tur ex ingluvie & copia quantitatem ordinariam affum-  
torum excedente, & ex qualitate eorundem vitiofa,  
menftruum ventriculi inverrente. Ex *apepsia* autem  
progignuntur *diarrrhea henteria, hydrops, atrophia*; ex  
*bradipepsia* oriuntur *colica, cachexia*, rel. ex *dispepsia* ob-  
ftrudiones, febres; *exanthemata, fcabies*, rel. (§.

§. XXXI.

*Colica.*

Immoderata & inconueniens affumptio ciborum,  
C  
pifces,

pisces, fructus horæi, saccharata, pinguia, ingestus potus frigidus vel acidulus, cerevisia novella, vina acidâ, mustum, pedum refrigeratio, liberior aeris ad denudatum corpus admissio, ira, aliæque vehementes mentis commotiones intestinorum incredibiles & inprimis coli incutiunt dolores.

§. XXXII.

### *Lochiorum suppressio.*

Sanguis toto gestationis tempore retentus, & in specie vasa uteri distenta servans, post exclusionem foetus peractam per vasa uteri, unum vulnus magnum constituenta, debet excerni. Impeditur verò a recentibus linteaminibus lectis inductis, aut nudo corpori applicatis, a refrigeratione mammarum, abdominis aut pedum, a sanguine vasa obstruente, ab assumpto potu frigido, ab animi affectibus. Hæc emanatio sanguinis subsistens cogit impuritates humorum ad massam sanguineam, ex quo sequuntur *febres acutæ, phrenitis, mania, melancholia, angina, pleuritis, peripneumonia, febris lenta & hætica, inflammatio uteri, gangræna & spbacelus.*

§. XXXIII.

### *Inflatio uteri.*

Uterus tam in cavitate, quam intra ejus membranas expanditur a flatibus, qui ex multis suboriuntur causis; in puerperis vero, quando post partum non statim in lectum deportantur. Hanc inflationem plerumque

rumque negligunt; sed cum in se sit aliquot per annos molestissima, facile quoque conflatur & adducit *hydropem uteri* & *ovariorum*, & ab lactatione infantis facta, ordinariam sanguinis *menstrui secretionem turbat*.

## §. XXXIV.

*Hæmorrhagia uteri.*

Sanguis in nimia quantitate post partum ex vasis uteri apertis eructat, quando puerpera post partum irascitur, spiritum frumenti, vinum aut alia volatilia potulenta ingurgitat, juscula aromatizata & embammata acria, lactucam, aliaque acetaria assumit. Conjuncta est cum virium debilitate, lactis defectu, pulsus debili, frequenti, visus obtenebratione, aurium tinnitu, animi deliquio; interdum in *phthisin* transit; sæpius vero convulsionem subsequentes mortem accersunt.

## §. XXXV.

*Hysterica Symptomata.*

Complicationem symptomatum insuetorum nominant hystericum affectum, in spasmo uteri, musculorum abdominalium, diaphragmatis, musculorum pectoris & œsophagi radicum, cum angustia præcordiorum, respiratione difficili, totius corporis refrigeratione conjunctum. Ab aere frigido ad inum ventrem admissio, a longiori corporis extra lectum detentione, a violento animi motu, a cibo copiosiori, gravi, stomachum operante, alimentis acidis, acerbis, dulcibus, saccha-

faccharatis, mellitis originem ducit, potu largiori, spirituoso aut acefcente. Facile morbus chronicus evadit, ab odore suaveolentium, vel alia leviori data occasione revertens, tandemque in *convulfiones, syncopen, apoplexiam* aut *paralyfin* degenerans.

§. XXXVI.

*Febris lactea.*

Tertio post partum die solet puerperas invadere horror cum subsequente calore, ut plurimum ab erroribus hoc die in diætâ commissis, terrore, ira, lintheaminum mutatione, insensibilem transpirationem supprementibus, lochiorum fluxum impredientibus, & hoc ipso sanguinis motum ad mammas turbantibus, cum mammarum duritie, dolore ac calore, dorsi & scapularum gravitate. Est ephemera plurium dierum, & observata diætâ, nono die per sudorem solvitur; quodsi vero hoc non fit, purpura, pro graviore vitio diætæ, maligna, mortem accelerat.

§. XXXVII.

*Febris purpurata.*

Puerperas invadit plerumque cum frigore, ac quasi mili granis albis & rubris, collum ac pectus pruritu doloroso perreptantibus, confitam cutim exasperatam reddere solet, prævia caloris excandescencia, siti molesta, cephalalgia & tussicula continua; oriturque a lochialis sanguinis exitu per stricturas spasticas impedito, a  
potu



potu vini, terrore, ira, neglecta debita quiete, aeris injuria. Iisdem ex causis reiterata vice agentibus descripta exanthemata repelluntur, tuncque *anxietates* cum motibus *convulsivis* excitant *mortiferas*.

§. XXXVIII.

*Procidentia uteri.*

Orificium uteri internum, postquam foetui transitum concessit, virtute tonica, qua gaudet, contrahendo se restituit; quando vero puerpera diutius extra lectum expansis brachiis, aut divaricatis cruribus, uterum in contractionis motu impedit, tunc pondere suo proprio descendit, ita, ut orificium internum intra pudenda conspici queat; aut plenarie inversus prolabitur, & intra crura ad instar sacci pendet. Est malum valde molestum, impediens deambulationem, congressum, conceptionem, mensiumque fluxum; a frigido aere, animique pathematibus facile dolore, febris & convulsione supervenientibus, multis est lethale.

§. XXXIX.

*Mammarum tumor.*

Errores diætæ in primis tertio post enixum foetum die commissi, frigida linteamina & recëntia, sanguinis exagitatio, nimius corporis motus, animique perturbatio, repletio ventriculi quantitate atque qualitate cibi & potus, protractæ vigiliæ, & turbatæ excretiones, sanguinem pro secretionem lactis ad pectus properantem mammis

mammis intrudunt; sic infarctæ dolore tenfivo gravati-  
vo admodum anguntur, qui facile in pertinacem *abscef-*  
*sum* mutatur.

§. XL.

### *Infantis incommoda.*


Quæ mala in hunc mifellum ex ejusmodi vitiis  
diæteticis redundent, ex dictis colligi poteft. Permul-  
tos *Epilepsia* torqueri, acerbiffimaque morte emori,  
caufam qui quæritat, fine magno labore  
inveniet.



01 A 6528

ULB Halle 3  
002 928 698







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-  
DIAETETICA

35

DE  
INCOMMODO ET PERICVLO  
**P V E R P E R I S**  
EX CONVIVIO BAPTISMALI  
IMMINENTE  
vom Schaden des Taufschmauses

QVAM  
ANNVENTE  
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE  
IN PERANTIOVA HIERANA  
PRAESIDE

**DN. D. IOH. HIER. KNIPHOFIO**  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE PATHOL. ET PRAX. PROF. ET ASSESSORE  
PRIMARIO S. R. I. ACADEM. NAT. CVR. ADI. ET BIBL.

**PRO LICENTIA**  
SVMOS IN ARTE SALVTARI HONORES ET PRI-  
VILEGIA LEGITIME ADIPISCENDI  
PLACIDO ERVDITORVM DISQVSSIONI SVBMITTIT  
RESPONDENS

**HENRIC. GOTTFR. TRAVTMANN**  
GERA - RVTENVS

H. L. Q. C. DIE XVII. DECEMBR. MDCCLVI.

**ERFORDIAE**  
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

